

que fatentur, abolita totius forma, pessum ire priores. At negant posteriores: imò, à formæ iugo exemptas, liberiùs suis munijs defungi. An' non lac animalium, veratrum & tithymallum depascentium, aluum conturbat? At nescit nemo, corruptis purgantibus, vim eam lacti impressã esse: quiq; peritiorũ Medicorum, lactentes prauorum humorum copia deplere fategerunt, nutriti remedium imperare. Et quamuis simile ex omni parte, solas à forma pendentes vires eniteretur: eo tamen in principia corrupto, generari ostendimus, in præcedētis quæstionis arbitrio alia, quæ suis facultatibus exornata, medicis operationibus oppidò quàm aptè conuenerint. Quæ dicimus veritati cõ-

*Si infusa,
assa, cocta
suas retinēt
virtutes:
etiam Chy-
mica.*

sentanea esse, ex communibus pharmacopœiæ administrandæ ritibus, qui coctione, infusione, assatione perficiuntur, dilucet. Quis enim negarit ijs ipsis, non solam temperiem, sed & mixti formam pessundari. At quod prouenit inde, & affuso humori imprimitur, an illud vel $\mu\acute{\iota}\xi\omega$, vel $\kappa\epsilon\acute{\rho}\acute{\alpha}\sigma\omega$ secum vehere, ipsamque formam vel temperiem de subiecto in

L 3 sub-